




# Henr. Wilh. vander Poll Oratio de linguae ac sermonis cultu ...

<https://hdl.handle.net/1874/214712>

8  
#3  
4

HENR. WILH. VANDER POLL  
**O R A T I O**  
D E  
LINGUAE AC SERMO-  
NIS CULTU,  
HABITA  
C U L E M B U R G I  
IN TEMPLO MAJORE  
IDIBUS DECEMBRIS MDCCXLV,  
QUUM SCHOLARUM GUBERNACULA  
CAPESSERET,

MAGISTRATUUM AUCTORITATE  
ET JUSSU PUBLICATA.



TRAJECTI ad RHENUM,  
Apud HENRICUM SPRUIT, MDCCXLV.

Den Wel D: 9  
geleerde Hee  
Henr. Cann  
jeer Prinadi  
fessor en  
te Antwerpen

245

V I R I S  
NOBILISSIMIS ET AMPLISSLIMIS  
S A T R A P A E,  
SENATORIBUS, PRAETORI,  
CONSULIBUS, SCABINIS,  
CONSILIARIIS PRUDENTISSLIMIS,  
QUI IN OPPIDO CULEMBURGI MAGISTRA-  
TU SUMMA CUM JUSTITIA ET  
DIGNITATE FUNGUNTUR.

N E C N O N  
SCHOLARUM CURATORIBUS  
GRAVISSIMIS, DOCTISSIMIS,  
BONARUM ET LIBERALIUM ARTIUM  
AC SCIENTIARUM FAUTORI-  
BUS ET PATRONIS  
ORATIONEM HANC

L. M. Q. D. D. D.

HENRICUS WILHELMUS VAN DER POLL.

HENR. WILH. VANDER POLL  
**O R A T I O**  
DE  
**LINGUAE AC SERMO-  
NIS CULTU.**

---

NOBILISSIME, AMPLISSIME HUJUS CIVITATIS ATQUE COMITATUS SATRAPA.

GRAVISSIMI, AEQUISSIMI CURIAE CULEMBURGENSIS SENATORES.

URBIS PRAETOR, CONSULES, SCABINI,  
CAETERIQUE MAGISTRATUS, VIRI PRUDENTISSIMI, DIGNISSIMI.

GYMNASII HUJUS CONSTITUENDI QUATUORVIRI CELEBERRIMI, DOCTISSIMI.

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES CASTISSIMI, FACUNDISSIMI.

JURIS ET MEDICINAE DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI.

LITERATISSIME CONJUNCTISSIME COLLEGIA.

A

QUOT-

2 O R A T I O.

QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS AUDI-  
TORES CUJUSVIS ORDINIS HONORA-  
TISSIMI.

ADOLESCENTIAE SCHOLASTICAE GRA-  
TISSIMA CORONA, CURA ET LABOR  
NOSTER.

**S**i loquendi facultas, qua Sapientissimus ac Potentissimus rerum omnium Opifex hominem instruxit, singulare Numinis Supremi beneficium dicendum est, quanto majorem putabimus illam esse potestatem, qua quidam praestantes ingenio Viri sive naturae munere, sive arte magistra id sunt consecuti, ut eleganter, ornate, splendide copioseque differere queant.

Quare mirum plane dari homines adeo ineptos, adeo deliros, ac perversa mente desipientes, qui eloquentiam, omnemque orationis cultum tanquam rem inanem & supervacaneam penitus negligendam esse existiment, illumque satis disertum & eloquentem affirment, qui mentis sententiam aperte atque intelligenter promere dicendo valeat; Illa vero, quae Orationis ornamenta existimantur nihil nisi difficiles nugas esse putent, quibus orationis virtus & gravitas quasi nervis incisis infringatur & prorsus effeminetur.

Taceo alia, quae ab istis in hanc sententiam captio-  
se

## O R A T I O.

3

se fallaciterque disputantur: Metuo namque, ne gravis esse videar terfissimis eorum auribus, quorum oculos in me conversos intueor: dubitare etiam de Vesta voluntate & consilio, *Amplissimi Viri*, qui ad capessendam hanc stationem, quam hodierno die ingredior, in Vestram me Civitatem excivistis: tenerosque pubis Vestrae animos ad ingenii & orationis cultum formamandos fingendosque commisistis. Res autem haec ipsa declarat, & ingenii illa palaestra, cui me Gymnasiarcham praefecistis, qua cura, qua diligentia ad eruditionem cives Vestros exerceri velitis.

Quod itaque *de Linguae & Sermonis cultu* oratione eas partes, quas mihi imposuistis, auspicari decrevi, non eo consilio factum est, ut Vestrum studium exacuere videar, quo nullum majus atque intensius esse cognovi, sed ut magnorum Virorum exemplis praecipue eorum, quos Graecia & Roma, foecundissimae ingeniorum matres atque educatrices tulerunt, ad eloquentiam & disciplinarum studia, quibus illa comparatur, cohorter atque incendam.

At vero mecum considerans, quantum oneris humeris meis impositum susceperim, quod in hoc Amplissimo Virorum honoribus, dignitate & singulari doctrina praestantium concessu, mihi in ea arte, quam praedicandam sumsi, parum exercitato, hodie verba facienda sunt, non mediocriter commoveor animoque perturbor.

## O R A T I O.

Una tamen , quae minuit metum , ac tollere jubet ,  
*Vestra Patres Conscripti* est humanitas , qua & fretus ,  
 spero , Vos , quaecunque a me in hoc genere in me-  
 dium proferentur , haud inquis accepturos esse auribus .  
 Quae spes ne me destituat , Auditores cujusvis Ordinis  
 ac loci Honoratissimi , obnixe Vos rogo atque ob-  
 testor .

Primum autem inquirendum mihi esse videtur , qua  
 aetate , quibus initii nata atque aucta fuerit ars dicendi ,  
 & quo tandem honore amplificata splenduerit : quod  
 quum docuero , facile percipietur , quinam in hac arte  
*Scriptores discipulis meis omnibusque illis* , qui hoc stu-  
 dio proficere cupiunt , potissimum sint imitandi .

Inter Graecos quidem Athenis à Solonis & Pisistrati  
 temporibus ea paulatim surrexit .

Romanorum lingua rudis , rustica ac barbara pri-  
 mum fuit , nec ante Catonem Priscum orator ullus in  
 populo Quiritium illud nomen meruit .

Inde quamdiu libera fuit Respublica , mirabile dictu ,  
 quantum illud sapientiae instrumentum , virtutis praed-  
 icatrix , veritatis custos atque ornamentum (eloquen-  
 tiā designo ) creverit .

Vis autem vigorque & robur ac decus praecipuum  
 Graecae Eloquentiae Isocratis & Demosthenis aetati-  
 bus , Latinae Ciceronis ac Caesaris temporibus praeci-  
 pue emicuit .

Quod si quis antiquitatem hujus artis ultra quaerat ,  
 quae

# O R A T I O.

5

quae prima sit ejus origo , quaeque caussae , piaeclare nos id Aristoteles docet.

Adsignat illam ei aetati , qua Sicilia crebris Tyrannorum motibus ac fortunis diu multumque jactaretur , pluresque agerentur in exilium , possessionibus multati , quae novorum Tyrannorum amicitiis cedebant.

Mox ubi Dea Redux , quae ludere in humanis rebus solet , pulsis aut caesis Dominis , qui Rempublicam oppressam tenebant , ab exilio cives revocavit ; hi quum in jure sua repeterent & manu consertum venirent vindiciasque postularent , factum est , ut per multiplices ac varias has lites inveniretur excultius quodam dicendi genus , adcommodatiusque ad Judicium concionisque animos tenendos ac permovendos.

Claruit eo tempore Philosophus Empedocles , qui scripto ac literis mandavit prima hujus artis rudimenta atque incunabula.

Simile quid Corax & Tisias conati sunt.

Ab Empedoclis autem disciplina profectus Gorgias Leontinus non passus est lucem hanc , dignam , quae terrarum orbem collustraret , una insula contineri.

Sed è Sicilia in Graeciam transiens , plurimos Athenis invenit , qui pulcritudine ejus capiebantur.

Et illi quidem , ut fuit semper ea gens ingenii capacibus , acutis , vividis , acceptam à Gorgia Magistro artem tanta cura & industria poliverunt & excoluerunt , ut nihil in eorum scriptis etiam nunc desideretur , quo

minus è praeceptis , & orationum , quae exstant divinarum exemplis , oratoriae scientia & usus parabilis sit & instrui possit.

Sparsum fuit inde & quasi prosemnatum orationis decus per Graeciae insulas & Asiam , quae , ut opibus sic elegantioribus literis ea tempestate florebant , ac tandem etiam extendentibus se imperii terminis , Romam perlata est : mutatoque velut habitu pro Palliata jam Togata , proque Graeca , Latina esse cepit .

Ubi cum caste religioseque aliquamdiu culta esset , per Italiam secessit omnem , transque Alpes per Gallias & Hispanias , perque Africam , ac pene dixerim per Garamantas & Indos , certe per divisos orbe Britannos propagata fuit , donec barbararum gentium incursu , Gothorum , Hunnorum , Vandalorum , Saxonumque rursus obmutuit atque exstincta est .

Revixit illa quidem longo post temporis intervallo prius in Italia , mox & superatis Alpibus , ad nos etiam commigravit , floretque in Academiis nostris , & praestantiorum Civitatum Scholis pracepta ejus tranduntur .

Ex tam parvis initiiis , & ex illo primo veluti Siculo fonte manans Ars bene dicendi , incrementa paulatim cepit , ac magis magisque diffusa , ingenti flumine , instar aequoris , Graeciam primo , dein Asiam , mox Italiam omnemque prope Europam inundavit .

Cujus cum pulcritudinem , utilitatem atque adeo necessi-

# O R A T I O.

7

necessitatem prope omnes videant, mirandumne est, etiam in illa reperire malignitatem, quod reprehendat?

Scilicet ut in mortalium infinito numero aliqua corpora, sic & ingenia quaedam prava ac distorta inveniuntur: nec quidquam tam sanctum fuit unquam, quod livor & improbitas non arroserint.

Alii negotii difficultate adolescentium animos ab ea deterrent, fieri non posse contendentes, ut quis unus dictionis elegantiam simul, & multarum rerum scientiam consequatur.

Hi nobis homines antiquam Socratis haeresin recudere videntur, qui primus morum disciplinam à bene dicendi scientia separavit, cum tamen omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habeant quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se contineantur.

Sed iidem illi, qui literarum instauratoribus altero abhinc saeculo obstrepuerunt, ejus sententiam tarditati & ignaviae suae obtendunt, non animadvertentes, quanta dictionis concinnitate, qua luce & sublimitate verborum, tanti Praeceptoris alumni nobis monumenta nunquam interitura reliquerint, Xenophon videlicet & Plato: quorum divinorum Scriptorum pulcritudinem non ita multi sunt, qui intellectu suo adsequantur, nemo vero, qui cum intellexerit unquam satis admirari potuerit.

Adeo,

## O R A T I O.

Adeo, ut credibile sit, non eam fuisse Socratis sententiam: aut si fuit, abunde haec est ejus discipulorum scribendi arte ac nitore refutata.

Quid attinet infinitam virorum copiam, & ex antiquitate, & nostrorum temporum serie producere, qui simul omnium prope rerum scientia, singularique dictionis venustate praecelluerunt? atque ut verbo absolvam, nemo unquam in doctrina magnus fuit, qui non utrumque praestiterit.

Cicero ille Tullius, & summi nostrorum temporum Viri suis exemplis convincere tam male sentientes poterunt, quemadmodum & eos, qui erudito homini, vel Philosopho necessariam negant orationis culturam, quin immo indecoram esse contendunt.

Revera hi eruditorum censu atque ordine indigni, qui ista latrant, tametsi forte à vulgo in eorum numero ponantur.

Orationem non postulamus, quae calamistris inusta, & phaleris ornata, aut lenociniis comta sit; sed puram, castam, quaeque apte rebus verba adcommodat, cuiusmodi est Aristotelis sermo, quem cum sibi magistrum fuisse plurimi glorientur, mirum sane, quod ab ea dictionis, ut ita loquar, honestate & ingenuo cultu tantopere deflectant.

Possem hic proferre innumera verborum monstra & dictionum portenta, quae nobis isti procuderunt artifices, sed pudet eorum, & vereor, ne Vesta, A. H.  
abu-

# O R A T I O.

9

abuterer patientia , si ex tenebris in lucem revocarem , quibus criticorum obelis confixa , justissimus Rhadamanthus damnavit .

Sunt tamen inter eos nonnulli , qui non alia de caussa contemnunt venustioris orationis lumina , quam quod blanda ignavia deliniti , ea se affecuturos unquam desperant .

Nam si inciderint forte aut fando cognoverint dictum , quod venustate atque elegantia sese commendat , quam ambitiose id ubique ostentant , ingeruntque hominum oculis , ut gemmas in digitis procaciiores pueriae , aut bullas in pectore pueri jactantiores .

Verum enim vero cum illis , qui ne sensum quidem ullum elegantiae habent disputare quid attinet ? metuo namque , si id conari velim , ne clametis omnes , committendum non esse , ut cum eo , qui caecus natus est , de picturis , aut cum surdo de fidium cantu litigem .

Quin relinquimus eos morbo suo , quoniam per stuporem ad sanitatem reduci nequeunt : sequimurque Platoniconrum hoc monitum , cum homine Cimmerio de solis pulcritudine , aut cum Epicuro de Diis altercandum non esse .

Ridendi in eruditorum circulis illi sunt , qui à sermone poliendo & ab omni facundia remoti sunt & alieni .

Immo vero anne hos hominis nomine vix dignos

B

puta-

## O R A T I O.

putabimus, qui eam artem eamque diligentiam Sermoni tribuendam esse negant, quam caeteris rebus adhibent, & ad humanitatem ducere sciunt, & si nesciunt, discere a facundis hominibus possunt.

Habemus enim hoc singulare à natura munus, quod illa nobis distinctam & articulatam vocem dederit, cum caeteris animantibus sonos tantum tribuerit, quibus voluptates, animi dolores & desiderium aliquod indicare possunt.

Ergo qua re praestamus reliquis animantibus, cum in aliis multis etiam inferiores simus, nonne majori providendum erit cura, ne eam projiciamus aut negligenter habeamus; praesertim, cum, si anniti velimus, consequi possimus, ut, quantum per eam homines pecoribus antecellunt, tantum nos ipsis praestemus hominibus.

Neque hae sunt inanes pollicitationes aut verba rerum vacua.

Conciones ipsae, quae quondam veros audiverunt oratores, id fatebuntur, ac tantum non clamabunt.

Non enim Vesper, neque Lucifer, ut alia in re Aristoteles dixit, tanta mortales afficit admiratione, quanta elegans ac perfecta arte instructus orator.

Is animorum habenas tenet, & quasi rerum potitus, in quascunque velit partes, auditorem rapit.

De Pericle olim scripserunt Comici, quum subtilius diceret, aculeos eum quosdam in auditorum animis

## O R A T I O.

II

mis reliquisse ; quum lenius persuadere vellet , leporem in ipsius habitasse labris , ac Suadam Deam in iisdem sessitavisse : quum permovere & incendere concionem vellet , tonitru ac fulmine Graeciam permisere solitum.

Vere itaque dixit Euripides tyrannicum quid in se continere eloquentiam , cuius imperata facere cogantur homines.

Quod si hic vetusti temporis memoriam replicem , ac rerum praeteritarum rationem subducam , plurimum exemplorum quasi summam colligere possim , unde rectius & uno velut obtutu cernatis A. H. quantae fuerint olim in priscis illis hominibus dicendi vires.

Demosthenes dicebatur Atheniensibus murum eloquentia sua circumdedisse , lateritiis illis ac vulgaribus longe praestantiorum firmioresque : ipse enim narrat , à se Athenas non coctili latere munitas ; sed magnis viribus , multiplicibusque terra mari copiis auxiliaribus.

Idem contra Philippum , bellum tunc Graeciae parantem , missus ad Thebanos , qui Macedonum rebus favebant , etiam Philippi Oratoribus praesentibus , ipsoque Rege in vicinis degente castris , iis facibus usus est , adeoque divina prope dicendi vi Thebanos incendit , ut veluti in furorem acti , continuo arma corriperent .

Epaminondas , coram frequentissimo legatorum conventu sic Lacedaemoniorum tyrannidem exagitavit ,

## O R A T I O.

ut non minus orationis disertae copia eorum opes fregerit, quam Leuctrica pugna. Tunc enim perfecit, ut auxilio sociorum Lacedaemonii privarentur.

Et Pyrrhus dicere solebat de Cinea Demosthenis auditore, plura se oppida sibi per ejus admirabilem dicens copiam atque facultatem subjecisse, quam suis armis.

Merito scripsit ergo sapientissimus idem Poëta Euripides, quaecunque hostili ferro, eadem & oratione confici posse.

Sed ne in Graecis moremur, videamus etiam breviter, quid in sua lingua Romani valuerint.

Non hic dicemus de Menenio Agrippa, prudenti quidem facundoque Viro, ut illorum temporum captus erat, qui seditionem plebem à monte in Urbem revocavit, Patribusque reconciliavit, simplici oratione & jucunda fabula de humanorum membrorum dissensione; sed quae temporibus illis, & rebus admodum erat adcommodata.

Nec quod Valerius Dictator civiles fluctus dicendo sedaverit, qui Maximi cognomen primus eam ob causam inter alios honores invenit, qui illius rei nomine ei habebantur amplissimi. Non etiam quod Seneca refert, Cassio Severo neminem magis in potestate habuisse concionis animos: quoties ille ad iram aliquosque motus homines concitare vellet.

Unum Ciceronem contemplemur, & praestantissimum

## O R A T I O.

13

mum eloquentiae habebimus exemplum , qui quum vi-  
veret maximorum Oratorum , quos Roma unquam  
vidit , temporibus , ut sol reliqua sidera , sic suo in-  
genio aliorum lumen & vires hebetavit . Hortensius  
tantus Orator , quum familiarem suum defendendum  
suscepisset , accusanti Tullio respondere non potuit .

In magna gravique caussa , cum Curio pater ad eum  
refellendum se pararet , assedit subito , mentem sibi ve-  
nenis excantatam & memoriam ereptam dicens .

Catilina homo perditus , & desperatae audaciae , ab eo-  
dem Consule accusatus , obmutuit : nec destitit eum  
persequi Cicero , qua dicendi facultate , qua auctorita-  
te , ac singulari vigilancia polluit , donec tandem Cati-  
linae nefaria consilia , pestilentesque in Rempubli-  
cam machinationes dissipavit , ipsumque cum sociis ex-  
stinxit .

Qua quidem ex re , cum Imperatoribus hoste victo  
gratulari Romani sint soliti de re bene gesta , uni Ci-  
ceroni togato ob conservatam Rempublicam supplicatio  
est decreta , primusque omnium Pater Patriae appella-  
tus est .

Viros plurimos ac prope innumeros facundia insignes  
Roma in lucem extulit & Graecia .

Verum nescio , quis ex omnibus illis cum Cicerone  
sit comparandus , nisi forte aliquis Themistoclem aut  
Camillum opponere velit .

Fuerunt illi viri consilio & manu , rebusque praecla-

## O R A T I O.

re gestis saeculi sui longe principes; sed vereor, ut eorum opera patriae tam utilis esse potuisset, si Themistoclis vel Camilli aetas in Catilinae vel similium incidisset tempora, opus enim tum fuit vel maxime Tulliana eloquentia, ut omnes boni ad studium patriam conservandi inflammarentur.

Non exspectamus hic, ut nobis quis objiciat, alias fuisse dotes in Cicerone singulares, magnam ingenii animique vim, amorem patriae, diligentiam, prudentiam, sapientiam denique omnem, quarum opibus adjutus plus multo effecerit in Catilinae conatibus retundendis, quam eloquentia.

At, si verum volumus, hae, quas dixi, dotes multilae sunt sine eloquentia, nec ostendere se vel exsere-re sine illa suas vires possunt: quemadmodum nec ulla potest esse eloquentia sine diligentia, prudentia, sapientia, aliisque virtutibus, quae simul cum elegantia copiaque fandi conjunctae, efficiunt quid in homine perfectum, & sumnum illud, quo mens humana eniti potest.

Excellentि hoc praesidio qui instructus est, nihil huic in rebus humanis est optabile, quod assēqui non possit, seu divitias, seu virtutum ornamenta spectes.

Eloquentia enim homines exornat, consilio instruit, atque illustrat, circumspēctos reddit ac fortunatos.

Illa tandem est, in qua sibi quilibet validissimum ac honorificum ornamentum repositum habet.

O di-

O divinam culti Sermonis virtutem ? auro contra non caram ? cui nihil par , nihil geminum in his terris est , nedum praestantius quidquam.

Praeterieram pene in tanta disertorum ac facundorum hominum copia , qui olim Athenis in Graecia , atque in Urbe gentium dominatrice (Romam designo) claruerunt , illos Viros , qui agros vestros coluerunt , A. H. agros dico Gelrorum , Hollandorum ac Trajetinorum , in quorum confinio Civitas haec *Vestra Culemburgum* sita sit.

Quin sanguinem ac vires inde Majores Vestri quondam traxerint , dubitandum non est.

Nolite autem credere nitorem Sermoni eorum , aut ingenii decorem defuisse unquam.

Nihil dico de antiquissima Batavorum memoria , quorum virtutes aeterna nocte sepultae jacent , carent quia Vate sacro atque ab Historicis traditae non sunt.

Nihil etiam de illa aetate , qua Galliae omnes totusque terrarum orbis imperio Romanorum cessit , sola autem haec Batavorum insula , cuius Civitas haec non ignobilis portio fuit , condita , si Clarissimum Gelricae gentis Historicum sequimur , à Claudio Civili acerri-  
mae libertatis avitae Vindice , sola inquam haec Batavorum insula suis legibus ac sua re publica est usq.

Abhorruerunt illi à Romanorum dominatione , culturae vero animorum nunquam non patientem aurem praebuerunt.

Verum

16 O R A T I O.

Verum ut dixi, mitto haec, nec tango, quae profligatis eorum opibus infecuta sunt, Francorum Saxo-numque imperia.

Hoc solum dico, nec desideratas fuisse per illa tempora quantumvis inculta, horrida atque obscura generosorum pectorum eruditrices disciplinas.

At vero cum illa tempora respicimus, quae ob revocatas à tenebris & quasi ab orco literas vere aurea appellamus, saeculum designo sextum decimum, & quod illi aetatiique nostrae proximum est (nam ut de animi ingeniique dotibus eorum, qui nunc sunt, dicam, modestia Vestra scio A. H. vetabit) quanto agmine, quanta multitudine, quanta copia circumfundimur eorum, qui patriam Vestram, Curiam, templa ac delubra, Scholam denique Vestram doctrinae atque ingenii luce illustrarunt.

Horum numerum si inire velim, initium facilius quam finem reperero.

Duos ex omnibus illis memorabo, par fratrum germanorum nobile, *Henricum & Cornelium Cucquios*; Natale solum illis idem, quod plurimis Vestrum obtigit, quodque hujus Urbis moenibus clauditur, Clarissimis honoribus, quos Theologia, Philosophia, & quarumvis disciplinarum studia tribuunt, fuerunt condicorati.

Ut autem cruditione plurimis antecelluerunt, ita inge-

## O R A T I O.

17

ingenii acumine , sermonis ubertate , atque Orationis flumine omnes superavit *Henricus*.

Celebrantur panegyricaे ejus Orationes , quibus pri-  
mum Brabantiae civitates mox gentes universas , ad  
quas eae pervenerunt , in admirationem rapuit.

Alia ingenii foecundissimi , & doctrinae multiplicis  
monumenta ab *Auberto Miraeo* , *Valerio Andrea Des-  
selio* , multisque aliis celebrantur.

Dum autem dicendi copiam aliorum praedico , ipse  
sentio , quam exigua sit & tenuis in hoc genere atque  
in hac arte nostra facultas.

Praeclare tamen hoc die atque hac hora me stetisse  
putabo , si meum in *Vos* animum , *Amplissimi Ma-  
gistratus* , beneficiique Vestri memoriam explicite com-  
memoravero.

Velim nunc , in me tantam esse gratias referendi  
aut saltem agendi ubertatem , ut Vestrae in me bene-  
volentiae magnitudinem dicendo adsequi possem.

Admiratus agnosco Humanitatem Vestram , ac Vobis  
universoque Senatui gratias ago immortales , quod  
me exterum ( Gelrum tamen ) Vestrum esse jussistis ,  
dignumque censuistis , cui Scholarum gubernacula com-  
mitteretis ; ejusmodi enim provinciam mihi administran-  
dam demandastis , qua Vestri Gymnasi commoda pro-  
virili mihi promovenda erunt , quae tantum non voto-  
rum meorum summa est ; quare nunquam mihi quid-  
quam a Vobis imponetur aut laboris aut oneris , quod

C

non

non alaci ac prompto animo subeam: Speroque futurum, ut Vestri consilii, Vestrique beneficij fructus, & Vos & Civitas haec Vestra, quique curae meae traditi sunt discipuli uberes percipiatis.

Vir Doctissime Collega conjunctissime? qui in adolescentium animis informandis mecum summa cum industria exercitaberis.

Cogitemus nostram operam arctissimo vinculo esse conjunctam: Quapropter sociatis viribus in id nobis incumbendum est, ut cum maxime alumnis nostrae disciplinae commissis inservire possimus.

Haec erunt nostri laboris tropaea, ut eorum animos lubricos non modo ad liberalium artium cognitionem, sed etiam ad verum Dei cultum instruamus.

Interim jungamus dextras, & amicitiam, quam sincero tibi candore defero, intemerata fide exerceamus, foveamus.

Vos denique Ornatissimi Adolescentes, Parentum spes, noster amor & decus, summa cum pietate, observantia ac diligentia navate operam, ut bonis artibus ornati, abundantissimos ad Reipublicam & Ecclesiam fructus referatis.

Quod si recte feceritis, procul dubio digna Vestro tempore auferetis praemia, vobis non minus quam Parentibus Vestris, imo etiam mihi honorifica.

Me comitem, me ducem habebitis circumspectum, vobis benevolum, & commodis vestris unice deditum.

D I X I.